

garentur. Ineptius vero et multo miserius hominum genus dixeris, qui ante hos paucos annos Agrippianis et Fanaticis nugis turgidi ebriique fingebant per mulieres uti seducti fuerint mortales, ita per eas, quae ex ipsis sanctae essent, solas regenerationem et renovationem iis contingere posse, execribili et portentosa coniunctione erroris ac sceleris, ut acta Paderbornensia publica aliquando testabantur.

XIV.

Habebat sic Paulus rationes oppido gravissimas et praegnantes, cur de Corinthiis suis adeo metueret. Erant enim iam tum etiam in ecclesia ipsorum praesentissima indicia ac documenta furentis Satanae, et de avertendis animis fidelium cogitantis. Qua de causa id permiserit Deus, si quis quaerere audeat, idem responsi loco accepturus fuerit, quam si disquirat, qui fieri potuerit permissu ipsius, ut Eva seduceretur tantis ab ipso bonis donisque cohonestata? Certum enim est hic et sapientiam et honestatem, et potentiam et iustitiam divinam habuisse, in quo se exereret; Ult itaque παυρόλαν Satanae pateretur exhibere se operosam in cribrandis fidelibus tam inter Corinthios, quam alios, quos Paulus converterat, bonis credimus rationibus ab ipso factum, ut et ministri et auditores eo alacriores in munera sui partibus obeundis se exhiberent, et eius conatibus per preces et accuratam purae doctrinae tutelam obviam irent. Producerat iam daemon suos *primo genitos*, qui sub schemate serpentis hic depinguntur, et in plerisque coetibus in gloriam Dei serio consentientibus eos obtruserat. Satanae dixeris *lenones* et nequitiae ministros, quibus et fallere et falli receptum, et qui adeo ab Apostolo πονηροὶ καὶ γοντες cognominantur, a fascino, quo homines simpliciores dementare solebant, 2. Tim. III, 13.

In